

4
Lévesque

Primum quod nobis affirmandum a Synodo videtur, bene exprimitur in initio secundae partis Relationis conclusivae: nempe problemata actualia sacerdotum oriuntur ex eorum situatione in mundo hodierno sese transformante, ex eorum praeoccupationibus pastoralibus coram difficultates quas experiuntur in eorum munere sacerdotali fungendo; Synodus autem publice agnoscit hanc anxietatem pastoralem presbyterorum, et quaerit solutiones invenire in unione cum ipsis, et in eodem spiritu pastoralis coram mundo.

Si enim presbyteri, ut declaratum est a Concilio Vaticano II, "quodammodo in sinu Populi Dei segregantur", hoc tamen non fit "ut separentur, sive ab eo, sive a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod Dominus eos assumit" (Presb. Ordinis, 3); ideoque rationem habeant necesse est diversarum condicionum in quibus omnes versantur, ita ut eorum praesentia possit revera signum esse pro omnibus illis cum quibus vivunt. Necesse est ergo, iam ab initio, fortiter affirmare raro inveniri unicam solutionem quae omnibus Orbis partibus conveniat, sed multa relinquenda esse Conferentiis Episcopalibus, ut ipsae prudenter et tempestive decisionem ferant.

I. - De prima quaestione, scilicet de Evangelizatione et Sacramentis, nobis in primis recolenda videntur optima principia quae a Decreto Presbyterorum Ordinis (n. 4) declarata sunt, necnon ea quae in eodem Decreto pluries dicta sunt de unione, immo de unitate munerum presbyterorum: "Eorum enim ministerium, quae ab Evangelico nuntio incipit, e Sacrificio Christi suam vim et virtutem haurit, atque eo tendit ut 'tota redempta civitas... universale sacrificium offeratur Deo'" (Presb. Ord. n. 2).

Presbyteri ergo "primum habent officium Evangelium Dei omnibus evangelizandi" (ibid. n. 4), et verbi Dei praedicatio requiritur ad ipsum ministerium sacramentorum.. In memoriam revocetur insuper efficacitas ipsius verbi Dei, quod est verbum salvificum, dummodo tamen agatur de authentico verbo Dei, et non de quavis cogitatione personali vel praedicatoris vel alicuius exegetae et theologi: ne simus, ut iam Paulus

monebat, "adulterantes verbum Dei" (2 Co 2, 17; 4, 2), sed accurate observentur ea quae in Constitutione Dei Verbum dicuntur de studio et praedicatione verbi Dei. Doctrina christiana vero proponatur "ratione temporum necessitatibus aptata, quae scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur et anguntur" (Christus Dominus, 13), atque talis modus loquendi quaeratur qui Ecclesiae permittat cum hominibus huius temporis ad verum colloquium venire.

Addendum tamen videtur quod ipsa praedicatio verbi Dei sua integra efficacia et credibilitate privari potest, si vita praedicatoris cum iis quae praedicat non concordat.

Quamvis inter ministerium sacramentorum et ministerium verbi intima et necessaria relatio habeatur, iuvat tamen notare quod labor missionarius non raro impeditur ab actuali disciplina sacramenti paenitentiae: multitudo paenitentium, speciatim certis diebus, talis est ut minister modo quoddam mechanicum et inhumano confessiones audire debeat, et tempus necessarium ad veram evangelizationem desit. Propter hanc rationem, necnon propter alias rationes quae hic exponi non possunt, liceat ergo spem exprimere ^{ut} Conferentiis Episcopalibus ampliores facultates de hac re recognoscantur.

II. - QUAESTIO de professione civili presbyterorum in nostro circulo multas animadversiones suscitavit. Semper sacerdotes adfuerunt qui professiones sic dictas civiles exercuerunt. Verumtamen professio civilis a sacerdote exigitur non tantum aliquando a necessitate propriae sustentationis, sed etiam et praesertim ab exigentiis pastoralibus, scilicet ut Ecclesia, etiam per suos ministros, revera praesens appareat in omnibus, speciatim in humilioribus, campis activitatis humanae, et ita manifestet suam solidaritatem cum omnibus.

Presbyteri vero, etsi "diversis officiis mancipentur, unum tamen gerunt sacerdotale pro hominibus ministerium. Ad idem enim opus ut cooperentur mittuntur omnes Presbyteri, sive ministerium paroeciale... exercent, sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferant, sive etiam manibus laborent" (Presb. Ord., 8). Neque dubitandum est, presbyteros qui ad hoc vocantur, habere specialem gratiam ad tales navitates exercendas, ita ut eorum praesentia revera signum efficax praesentiae amoris Dei ubique appareat. Ne opponatur igitur, ut

sicut fit etiam in Relatione conclusiva, ministerium sacerdotale cum huiusmodi operositatibus. Ad iudicandum tamen de convenientia et opportunitate talis praesentiae presbyterorum, omnino insistendum est in eorum communione cum caeteris presbyteris et cum tota actione pastorali Ecclesiae. Iterum Conferentiis Episcopalibus et Synodis Orientalibus ius et officium sit de hoc iudicandi.

III. - De activitate politica sacerdotum approbamus ea quae dicuntur in Relatione finali, p. 23, n. 2, a. b. c. Ceterum problema politicum non est tantum presbyterorum sed totius Ecclesiae. Presbyteris tamen competit speciale officium conscientia^s educandi sub lumine fidei. Actio politica publica et quasi officialis sacerdotum multis difficultatibus obnoxia esse potest, speciatim in illis nationibus ubi realis libertas politica non existit. Circulus noster tamen unanimiter affirmat officium clare et fortiter interveniendi contra evidentes iniustitias potestatis politicae. Immo, quibusdam in casibus assumptio muneris directivi vel actiosa participatio in factione politica ad imperium potiundum, permitti poterit ab Episcopo, consultis tamen presbyteris et laicis expertis.

IV. - De corresponsabilitate in actione pastorali circulus noster approbat ea quae ab Eminentissimo Card. TARANCON dicuntur in sua Relatione introductiva.

Addendum tamen est quod haec corresponsabilitas habet etiam valorem missionalem, cum unio in actione pastorali sit testimonium magni valoris pro non credentibus.

Collaboratio sit vera, contactus realis, inter Episcopum et presbyteris. Ubi ista deficiunt, necesse est talem defectum agnoscere et remedium quam cito afferre. Bonum esset si episcopi facilius de sede ad sedem transferri, vel etiam a munere removeri possent. Sed absolute imponatur finis principio vel consuetudini promotionis ad superius munus; immo aetas maxima pro munere episcopali retinendo nobis videtur esse septuaginta quinque, vel melius septuaginta annorum.

Principio communionis ducti, putamus quod presbyteri, ut cooperatores ordinis episcopalis (et non tantum unius Episcopi) facilius mutari deberent, non tantum intra unam dioecesim, sed etiam de dioecesi ad dioecesim si bonum commune id postulat. Item presbyteris maior participatio detur in deliberationibus Episcoporum, et etiam in Synodo et in Concilio Oecumenico.

clare et tempestive
Quae omnia non sunt contra auctoritatem Episcoporum; immo circulus noster exoptat quod Episcopi fortiori animo et sine timore utantur suo iure et officio ~~ad~~ decisiones ferendas clare et tempestive; mora indebita, sive ex parte Curiae Romanae, sive ex parte Episcoporum, frequenter dubia et anxietates in animos movit.

V. - De lege caelibatus et de ordinatione coniugatorum.

Haec breviter dicantur:

1º Haec quaestio non appareat ut principalis quaestio huius Synodi.

2º Clare agnoscatur gravitas quaestionum, quae in actuali contextu humano et ecclesiali ponuntur, etiam si Synodus putet non esse admittendos ad sacerdotium nisi illos qui in caelibatu semper vivere statuerunt.

3º Ne reiteretur pure et simpliciter lex caelibatus. Synodus indicet condiciones humanas et ecclesiales quae exiguntur ut sacerdotes vitam caelibem in pace et gaudio ducere possint. Quae condiciones ab Excellentissimo Mons. SCHMITT in sua relatione optime enumerantur.

4º De ordinatione coniugatorum, talis apparet diversitas opinionum ut impossibile sit Synodo solutionem pro tota Ecclesia latina proponere. Tamen, data diversitate circumstantiarum, optamus quod Conferentiae Episcopales, iuxta necessitates pastorales, pergere possint in studium huius novae formae ministerii sacerdotalis, et, si eis videtur opportunum, a Sancta Sede licentiam experiendi obtinere possint.

5º Interdum prosequantur experientiae iam inchoatae formarum novarum ministerii, sive diaconatus coniugatorum, sive aliarum, non exclusis ministeriis feminarum, quae ad bonum animarum necessariae videntur.

6º Omnino nihil mutetur in legislatione et traditionibus Ecclesiarum Orientalium, ita ut hae Ecclesiae ubicumque suas proprias traditiones libere sequi possint.

VI. - De vita spirituali sacerdotum.

Circulus noster magnum momentum huic quaestioni tribuit, et vult recolere ea quae a Vaticano II docentur. Pro rebus magis determinatis putamus eas ad Conferentias Episcopales et ad Synodos Orientales remittendas esse.

VII. - De retributione oeconomica.

Recolendo quod presbyteri et episcopi exemplum dare debent spiritus paupertatis, circulus noster tamen affirmat necessitatem retributionis aequae, quae sufficiat ad libertatem apostolicam sacerdotis tutendam, et simul signum sit caritatis fraternae inter ipsos.

Iota communitas fidelium partem habere debet in aequa sustentatione sacerdotum. Nec hoc speciem mendicitatis habere putetur, sed hoc apparere debet ut agnitio servitii fraterni quod presbyteri toti communitati praestant: "Dignus est enim operarius mercede sua".

Affirmamus tandem necessitatem alicuius aequalitatis oeconomicae tam inter ecclesias eiusdem dioeceseos quam inter ipsas dioeceses universi orbis. Conferentiis Episcopalibus et Synodis commendatur ut dioeceses divitiores adiuvere pauperiores generose curent.

VIII. - De praeparatione ad sacerdotium.

Unanimiter affirmamus necessitatem pro futuris sacerdotibus, ut sufficienti tempore in communi vivent, ad vitam spiritualem formandam, ad culturam theologiam acquirendam, necnon ad habitum operositatis communis addiscendum. Non enim agitur de sola formatione intellectuali procuranda, etsi affirmanda sit, praesertim nostris diebus, necessitas profundae praeparationis theologicae.

In hac re etiam agnoscere debemus diversitatem circumstantiarum speciatim si agitur de mediis ad vocationes suscitandas vel fovendas. Multae decisiones ergo relinquendae sunt prudentiae Conferentiarum Episcopaliū et Synodorum Orientalium, quibus competit, si opus est, novas vias quaerere et invenire ut Populus Dei sufficienti numero sacerdotum non privetur.

Tandem inculcare oportet intimum legamen inter formationem quae in seminario datur et illam permanentem quae presbyteris semper praesto esse debet.

P. Joseph LECUYER
Relator.